CONGREGATIONE
SACRORVM RITVVM
siuè
Eminentissimo, ac Reuerendissimo D.
CARD. GVALTERIO.

Toletana

Beatificationis, & Canonizationis Veñ seruæ Dei Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis Sancti Francisci.

INFORMATIO

Super omnibus hactenùs gestis in Causa pro illius reassumptione.

ROMAE, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, M. DC. LXIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Toletana.

Beatificationis, & Canonizationis Veñ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis Sancti Francisci.

INFORMATIO

Super omnibus hactenùs gestis in Causa prò illius reassumptione.

BEATISSIME PATER.

ANNO Redempti Orbis primo suprà millesimum quadringentesimum octuagesimum, die verò tertia Maij, in insigni oppido de Ocaña Toletanæ Diœcesis, ex Ioanne Vasquez, & Catherina Guttierez, à fidelibus, & antiquis Christianis descendentiam habentibus, eximiæ pietatis, virtutumque plurimarum splendore Illustribus, ac legimo Matrimonio coniunctis eius progenitoribus, nata est dicta serua Dei, & in Ecclesia Parochiali eiusdem loci baptizata, ac debito tempore confirmata, Ioannæ nomen in Baptismo suscepit, quæ in fide Catholica ritè instructa, ac in timore Domini diligentèr educata, & à pia Matre ab Incunabulis, non sinè Diuino instinctu Deiparæ Virgini oblata, præludijsquè gratiarum, & benedictionum, quibus eam dignatus fuerat Altissimus cohonestare, præuenta, ab infantili, ætate futuræ sanctitatis indicia non obscura edidit, elucentibus in teneris annis quibusdam igniculis, ex quibus erupturam fore ingentis virtutis flammã apparebat; Etenim diebus Veneris, ferijsuè sextis, semel tantùm in die vbera sugebat, & ieiunijs formam ità illis sacris diebus seruabat, vt omnium oculos in se conuerteret, & in admirationem raperet, quod in tenella ætate, & ante vsum rationis omninò rarum, & admirabile est; incredibili verò mentis maturitate cæpit æternitatis pondus assiduè meditari, de eaque adeò passim loqui, vt æternæ gloriæ fruitionem, finemque summi boni sibi proposuerit, ad quem omne eius dictum, factumuè respexit, propter quem puerilia omnia fugiens, terrenaquè despiciens, solo æternæ gloriæ desiderio contenta, detinebatur. Inter plurimas verò tùm gratiæ, tùm animi dotes, elucebant in teneris Annis mansuetudo, docilitas, ac munditia cordis, morum Candor, modestia, & in rebus spiritualibus, ac Diuinis innata propensio, & peculiaris ergà Beatissimam Virginem, & Sanctissimam Crucem deuotio.

Cumque annum septimũ impleret (matre nuper defuncta) singulari gratiæ priuilegio, spiritu orationis adeò repleta est, vt spretis infantium ludis, & illecebris, nedùm cum delectatione in orando, meditandoquè assiduè detineretur, sed etiam Cœtaneas pijs suasionibus in idem alliceret, & ad eam exercẽdam pertraheret, salutaribus, suauibusquè monitionibus instrueret, verùm pietas illius insignior euasit, nedum ex fræquentibus Ieiunijs, alijsque austeritatibus, ac varijs etiam mortificationibus; sæpe enim vestis illi interior erat Cilicium, nec his contenta,

Corpus suum in seruitutem absolutam redigeret; quæ tamen maxima circumspectione occultare nitebatur, noctesque insomnes in oratione coram Imagine Saluatoris (quam Veronicam appellant) transigebat, enixè à Deo petens, vt eam sibi in sponsam acceptaret, sed etiam ex peculiari reuerentia erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & profundissima deuotione, ac veneratione ergà Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, cuius profundum Diuinumquè misterium plenissimè cognouisse, pluribus argumentis patefecit. Vbi verò prouectior ætas adoleuit, adeò enituerunt præclaræ, ac eximiæ eius tum gratiæ, tum Animi dotes, vt transacto Anno decimoquinto, à pluribus patricijs, & nobilibus, prædicta admirantibus, in sponsam exoptaretur, & exquireretur, æternitatis omnino defixa cogitationibus, procos omnes generosissimè respuit, & cõstanti, generosoque Animo despectis sæculi illecebris, terrenisquè alijs omnibus, vnico Dei Mancipio libertatem addicere, vtque illibatum Virginitatis florem custodiret, Christum Dominum vnicum sibi sponsum eligere, vitamque ab omni cura, & negotio sæculari, pœnitus abstractam amplecti statuit.

Vbi igitur continuis virtutum, & sapientiæ incrementis, alijsquè pijs Excrcitijs in dies præficiens, spiritus sitim in sæculo explere non posse cognouit, humilioris, & austerioris vitæ genus iuxtà Diuinam admonitionem, eligens, varijs Mundi tentationibus, alijsque obicibus, quibus votorum suorum executio impediebatur constantissimè superatis. Virili habitu induta, muliebremque super humeros circumuolutum, acensem, vt vir, sub brachio gestans, ad Monasterium Sanctæ Mariæ de Cruce Oppidi de Cubas, sese contulit, Patris licet anteà diù renuentis prudentèr obtento assensu, Religiosum Institutum Tertij Ordinis Sancti Francisci Suscepit, habitumque eiusdem Religionis induit in eodem Monasterio die tertia Maij anni 1496. ibiquè quasi maioris prænuntia luminis aurora exurgens, post completum Nouitiatus annum, maxima cum laude, Regularis obseruantiæ, vitæquè exemplaris splendore, votiuam paupertatis, Castitatis, & obedientiæ professionem emisit die tertia Maij anno 1497. ætatis suæ decimo sexto, nomini Ioannæ addito de Cruce, ob peculiarem erga sanctissimam Crucem deuotionem.

In ipso Religiosæ vitæ tyrocinio assiduis vigilijs, Ieiunijs, & austeritatibus, alijsque spiritualibus Exercitijs, in vinea Domini feruidè, ac indefessè elaborando tantum profecit in via rectitudinis, vt ob Regularis Obseruantiæ perpetuam, ac inuiolabilem normam, profundissimæ humilitatis; promptæ in omnes obedientiæ excellentiam, vitæ exemplaris splendorem, aliarumque virtutum cultum absolutissimum, cæteris, ad instar lampadis continuo ardentis præfulgens, Diuinique luminis robore confirmata, & ob ingenitam, seù Diuinitus infusam ad regendas Animas facultatem, communibus omniũ sororum suffragijs, superiorumquè accedente consensu, & applausu, constituta in vigesimo septimo ætatis suæ anno, designata fuerit Abbatissa dicti Monasterij, quod munus nõ ambiendo, sed humillime obediendo suscepit, illudque Officium summa prudentia, ac probitatis laude, vt inferius dicetur, expleuit, præfatumque Monasterium nouis incensum facibus sanctis, Religiosisquè moribus imbuit, & rexit vt exempla documentis coniungens, viuax sororibus Regula videretur, & tanquam perfectionis absolutissimæ protypon obseruaretur.

Prætèr verò ingenitam illam à natura prudentiam, sapientissimam in regendarum animarum disciplinam, miramquè in discutiendis animis solertiam Cælesti diuinitùs sapientia, & consilij dono admirabili prædita erat, cum etiam extrà clausuram salutaribus monitis animas ad eam recurrentium imbueret, & super arduis grauioribusque plerumque negocijs consultissimi eam viri consulerent, eiusque Sententiam doctissimorum quorumcumque opinionibus anteferrent; Carolo Quinto Immortalis gloriæ Imperatori, & omnium retro Principum, qui virtutis via ad Imperium conscenderè exemplari lucidissimo dilecta, non mi-

salubria responsa dedit; & prudentissima monita insinuauit.

Ven. seruus Dei Franciscus Ximenes Cardinalis Toletanus religiosus, ac Diuorum cultor eximius, in aduersis magnanimus, ac in rebus arduis egregius magnus quoque ille Gundisaluus Dux Ingentis animi, & profundæ prudentiæ Princeps Cordubensis, ac cognomento Conquestoris, necnon innumeri Præsules, Principes, & magnates, nobilissimæque Matronæ famulam Dei fræquenter inuisentes, suisque concionibus interessentes illam pro suis meritis plurimi faciebant, sapientiores, peritioresque omnis litteraturæ homines sublimiori eius scientiæ se impares agnoscebant, & profitebantur, spiritusque Sancti afflatu præditam esse haud verebantur.

Absoluto tandem Abbatissæ officio, quòd per decẽ ac septem annos viuo pietatis, prudentię virtutumq; omnium exemplo exercuit, vbi cũ immensæ erga Sorores Charitatis, ac in suis grauibus infirmitatibus patientiæ argumenta non obscura edidisset, & iactis alijs copiosissimis plurimarum virtutum seminibus vberrimos bonorum operum fructus produxisset, famamque sanctitatis, ac virtutum iamdiù concepta, & vbique per Hispaniam diffusa percrebuisset, semenque purissimæ, ac sanctissimæ vitæ, quod in Agro Domini sparserat, longè, lateque propagatum inualuisset, totam se Diuinorum contemplationi, orationibus, infirmarum curæ, alijsque spiritualibus exercitijs addixit, Regularisque obseruantiæ adeò exactã sese cultricem præbuit, vt prædictum Monasterium in quo præfata serua Dei cursum vitæ sanctissimæ terminauit ob pietatis, ac religionis nitorem, illiusque vitam exemplarem celeberrimum in ingentem amplitudinem, & Maiestatem excreuerit, confluentibus vndique Virginibus in hoc sanctimonialium Sacrarium, vicissim ascitis, gratia Deo famulandi sub fælicibus Ioannæ auspicijs. Tandem cum ad illam seruorum Dei perfectionem deuenisset, vt digna esset in gaudium Domini introire, & diuturnis infirmitatibus in dies ingrauescentibus suæ vocationis diem adesse prænoscens, iamdiu discessui se compararet, nouissimisque illis diebus læthalis suæ infirmitatis sanctè, & constanter toleratæ, inter Religiosas Passionis Christi memorias vniuersos annos suos cum mansuetudine Animæ suæ recogitando, Oratione, & contemplatione, alijsque pluribus dictis, & factis, pietatem, & sanctitatem redolentibus, omnes omninò virtutes in compendium redegisset, spiritu Prophetico, Ecstasibus, & raptibus, alijsq; supernaturalibus donis diuinitus collustrata, præeunte pænitentia, iterataque confessione peccatorum, susceptisque magna fide, humilitate, ac deuotione Sacrosanctæ Eucharistiæ, & extremæ vnctionis Sacramẽtis corruscante facie, prodeunte ex ore suauissimo odore, die tertia Maij anno 1534. ætatis verò quinquagesimo tertio Suauiter eleuatis in Cælum oculis, cælesti Christi videndi ardore exanimis, consumato cursu, obdormiuit in Domini in prædicto Monasterio sanctæ Mariæ de Cruce, cum fama, & opinione sanctitatis, nedum pluribus in vita miraculorum argumentis munita, signisque in exitu vitæ comprobata, sed etiam illustri testificatione plurimorum Principum, magnatum, aliorumque grauissimorum virorum præconizata.

Eximia fama sanctitatis dictę seruæ Dei legitimis, & probabilibus de causis orta, & concepta in vita, solidisque virtutum hæroicarum fundamentis innixa, perseuerauit etiam post obitum, mirisque accessionibus percrebuit, non Solum in dicto Monasterio de Cubas vbi vixit, & mortua est, sed etiam in alijs propinquis, & remotis, tam in Hispania, quàm extrà apud omnes cuiuscumque status, gradus, & conditionis, etiam Principes, Magnates, ac Prælatos, ob maximam deuotionem Christi fidelium, eam vti sanctam, & amicam Dei cum eo in Cælis regnare credentium, illius intercessioni deuotè, ac enixè se commendantium in suis necessitatibus, infirmitatibus, miserijs, periculis, cùm firmissima in Domino fiducia, se eiusdem seruæ Dei meritis, ac intercessione votorum compotes fore, vt peractis postmodum authoritate ordinaria anno 1619. Processibus informatiuis super eadem sanctitatis virtutum, & miraculorum fama,

 ac

ac enixè instantibus pro eiusdem seruæ Dei Canonizatione Philippo Quarto Rege Catholico, vniuerso Ordine Minorum, & præcipuè dicto Monasterio sanctæ Mariæ de Cruce, cunctisque Populis Diœcesis Toletanæ, fæl. rec. Gregorius XV. de Consilio Congregationis Sac. Rituum, cui mandauerat examen dd. Processuum, & ad relationem Cardinalis Crescentij per Commissionem Sanctitatis suæ manu signatam, causam huiusmodi, primùm in genere, & deinde in specie inquirendam, ac discutiendam mandauit tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, videlicet, Coccino, Manzanedo, & Cauallerio *Summario num.* 1.

Cuius Commissionis vigore ab eisdem Auditoribus declarato tàm ex dictis Processibus informatiuis, quàm ex Testibus in Curia examinatis, sufficienter constare de puritate fidei, sanctitate vitæ, & morum fama, miraculorum magnitudine, & populorũ obseruantia erga præfatam seruam Dei Ioannam de Cruce generaliter tantùm, sicque plenè satisfactum fuisse Inquisitioni generali, posse deueniri ad specialem; Ideò die prima mensis Septem. anni 1621. concessæ, & expeditæ fuerunt Litteræ Remissoriales, & compulsoriales, directæ Reuerendissimo Episcopo Troyanensi, & alteri Episcopo per Reuerendissimum Nuntium Apostolicum in Regnis Hispaniarum commorantem, nominando dicto *Summario num.* 2.

Inquarum executionem, Apostolica auctoritate coram dicto Episcopo Troianen, ac Episcopo Coronen. à dicto Nuntio Apostolico nominato, confecti fuerunt duo Processus Remissionalis, & Compulsorialis, clausi, & obsignati ad vrbem transmissi, & inactis causæ legitimè recogniti, aperti, & vnacum litteris Responsiuis DD. Iudicum interpretati; moxque Pirouano in locum Cauallerij Officio Datariæ præpositi, subrogato, ac Merlino in locum Manzanedi, è viuis sublati, suffecto, vt insimul vnacum Coccino Rotæ Decano procederent, post maturam dictorum Processuum discussionem factam in pluribus, ac distinctis sessionibus ab eisdem Auditoribus, resolutum fuit, non solum constare de validitate dictorum Processuum, ac Testes tàm Remissoriales, quàm compulsoriales fuisse ritè, & rectè examinatos, verùm etiam quoad releuantiam, constare nedum de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, sed etiam de octo miraculis, binis videlicet in vita, & sex post obitum singillatim relatis in eorum relatione in scriptis præsentata fel. rec. Vrbano Octauo, & quæ dantur *Summario num.* 3.

Qua relatione iussu eiusdem Vrbani, repetita notione, discussa in Congregatione Sac. Rit. ad relationem Cardinalis S. Clementis, eadem Sacra Congregatio die 31. Martij 1629. censuit constare de validitate dictorum Processuum, ac referente Cardinali S. Cæciliæ die 19. Ianuarij 1630. eadem Sac. Congregatio decreuit sufficere in Testibus ætatem annorum 60. ad probandum in antiquis, & stante huiusmodi resolutione die quarta Maij eiusdem anni 1630. eodem Cardinali sanctæ Cæciliæ pariter referente, censuit constare de virtutibus requisitis in Ordine ad Canonizationem, vt ex Decretis desumptis è regestis R.P.D. Tigrimij olim Congregationis Sac. Rituum Secretarij, & manu Eminentissimi Cardinalis Ginetti Præfecti subscriptis, ac eius sigillo munitis dicto *Summario num.* 4.

Instante verò Postulatore pro vlteriori progressu in causa, ac discussione miraculorũ à præfatis Auditoribus Rotę approbatorum, dictum fuit obstare decreta ab eodẽ Vrbano VIII. in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis de anno 1625. edita, & publicata anno 1634. super non cultu exhibendo ijs, qui cum sanctitatis, vel martyrij fama ab hac vita migrauerunt, seù super casu excepto ab eisdem Decretis, nihilque amplius in causa actum fuit.

Cum autem eadem sanctitatis fama vnacum miraculis, quæ Omnipotens Deus prædictę seruęDei Ioannæ de Cruce meritis, ac intercessione cõcedere dignatur cõtinuò aucta adeò percrebuerit, ac in dies percrebrescat, vt concepta in diuer-

ſis Mundi partibus, maximè vero in Regnis Hiſpaniarum, erga eam deuotione, à pleriſque in eorum neceſſitatibus inuocetur, ac plurimorum etiam grauiſſimorum virorum exiſtimatione Beatificationis, & Canonizationis honore digna, accedente infallibili ſedis Apoſtolicæ iudicio, reputetur, & pro introductione, & proſecutione cauſæ Beatificationis, & Canonizationis eiuſdem ſeruæ Dei, ac confectione Proceſſus particularis ſuper paritione Decretorum ab eodem Vrbano VIII. in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis editorum ſeu ſuper caſu excepto, ac cultu Immemorabii eiſdem ſeruæ Dei exhibito; in eadem Congregatione Sacrorũ Rituum neceſſaria ſit Commiſſio ſignanda manu S. Veſtræ; Ideo Fr. Ioannes à Sancto Didaco Villalon Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſeruantia, & in hac cauſa Procurator ſpecialitet conſtitutus, inhærendo nouiſſimis inſtantijs ſupplicantium pro Beatificatione, & Canonizatione eiuſdem ſeruæ Dei, humillimè ſupplicat admitti, & ſignari Commiſſionem S.V. proponendam pro reaſſumptione cauſæ in ſtatu, & terminis in quibus reperitur, & ad limites dd. Decretorum, vt illius vigore procedi valeat ad vlteriora in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis.

Et ſanè videtur eſſe locus propoſitioni dictæ Commiſſionis, cum doceatur de omnibus ad id requiſitis ex forma, & præſcripto dictorum Decretorum, & praxi, ac ſtylo huius Congregationis Sac. Rituum.

In primis adſunt nouiſſimæ inſtantiæ per litteras Sãctitatis Veſtrę directas, nempè.

Quatuor Regis Catholici ſub diebus tertia Ianuarij: ac ſecunda Februarii anni proximè præteriti 1663.

Binæ Eminentiſſimi Cardinalis de Sandoual Archiepiſcopi Toletani ſub Datum 23. menſis Februarii eiuſdem anni 1663.

Quamplures Sereniſſimi, ac Generoſiſſimi Principis Don Ioannis Auſtriacæ ſub diebus ſexta, ac 20. Ianuarii proximè elapſi.

Ciuitatis Toleti die 23. Februarii 1663.

Decani, & Capituli eiuſdem Ciuitatis 29. Ianuarii eiuſdem anni.

Eccleſiæ Magiſtr Complutenſis 11. Februarii eiuſdem anni.

Monaſterii ſanctæ Mariæ de Cruce 29. eiuſdem menſis, & anni, ac plurimarum Eccleſiarum, & Ciuitatum Hiſpaniæ de quibus *Summario num.* 5.

Secundo datur ſpeciale mandatum Procuræ Patris Fratris Ioannis de Munieſſa Qualificatoris Sancti Officii, Catholicæ Maieſtatis Concionatoris, ac Commiſſarii Generalis Vniuerſæ Religionis Minorum obſeruantium ſancti Franciſci in partibus Ciſmontanis ſub Datum Hiſpali 16. Decembris anni 1661. in perſonam præfati Fratris Ioannis à ſancto Didaco Villalon eiuſdem Ordinis *Summario num.*6.

Poſtremò continuatio, & percrebreſcentia famæ ſanctitatis, & miraculorum dictæ ſeruæ Dei pateſit, tam ex deductis in dictis Proceſſibus, & relatione Rotali, quàm ex prædictis inſtantiis enixè ſupplicantium pro illius Beatificatione, & Canonizatione.

Quare &c.

Fr. Ioanne às Sancto Didaco Villalon
Cauſæ Procurator.

Reuiſ.

Michael Angelus Lapius Subpromotor Fidei.

[illegible] Mendicantium [illegible] in Regno [illegible]
[illegible]
[illegible] Conventu [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Vill [illegible]
[illegible]
eadem [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
ac style [illegible] Congregationes [illegible]
[illegible] Villalon [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Archiepiscopi [illegible]
[illegible] 1683.
[illegible]
[illegible]
[illegible] die 23. Februarii 1687.
[illegible] Januarii eiusdem anni.
Aprilis [illegible] 12. [illegible] eiusdem anni.
[illegible] Mariæ [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Villalon [illegible]
[illegible]
[illegible] sanctitatis [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Franciscus [illegible] Villalon
Causæ Procurator.

Reuisi.

Michael Angelus Lapius Subpromotor Fidei.

Toletana.

Beatificationis, & Canonizationis Veñ Seruæ Dei Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis Sancti Francisci.

SVMMARIVM.

BEATISSIME PATER.

Num. 1. Commissio fæl. rec. Greg. XV. directa Rotæ Auditoribus tã pro Inquisitione generali, quam speciali Processu fol. 4.

VIGENTE, iamdiù, & in dies magisque crescente fama, ac communi vndique opinione vitæ, & morum Sanctitatis Seruæ Dei Ioannæ de Cruce Monialis, & Abbatissæ Monasterij sanctæ Mariæ de Cruce nuncupati in Territorio, & Diocesi Toletana existente, vbi eius Corpus post octuaginta quinque, & amplius Annis à quibus obijt Integrum, incorruptum, & odoriferum, magna omnium admiratione, & deuotione à Regibus, Principibus, Ecclesiasticisque Præsulibus, ac Populo vniuerso veneratur, necnon miraculorum, quæ ex illius Intercessione, & meritis Omnipotens Deus operari dignatus est, & in dies operari dignatur. Vniuersalisque Populorum Deuotio ità augeatur, vt pro sancta in necessitatibus inuocetur, & communi etiam Deuotorum, & grauissimorum virorum voce, & desiderio inter Sanctos Collocari, ac debito Canonizationis honore Apostolica authoritate videatur. Ideò fabricatis super integritate, puritate, & sanctitate vitæ illius, & miraculis huiusmodi nonnullis Processibus authoritate ordinaria in partibus confectis, illis in Sacra Rituum Congregatione visis, & discussis ad relationem deuotæ Sanctitatis vestræ Creaturæ Cardinalis Crescentij, emanauit declaratio per quam eadem Sacra Congregatio censuit causam esse in statu tali, vt si Sanctitati V. placuerit de more comitti possit, aliquibus Vestri Sacri Palatij Rotæ Auditoribus, ad effectum, vt ipsi authoritate Sedis Apostolicæ forment ingenere, & in specie Processum pro Canonizatione eiusdem Seruæ Dei Ioannæ, vt latius in dicta declaratione, quàm hìc pro inserta haberi placeat, supplicatur humiliter S.V. pro parte Philippi Quarti Hispaniarum Regis Catholici, necnon vtriusque sexus fratrum, & Monialium sancti Francisci de Obseruantia, & signanter dicti Monasterij S. Mariæ de Cruce, totiusque populi Ciuitatis, & Diæcesis Toletanæ, quatenus huiusmodi eorum piæ intentioni, ac desiderio satisfaciendo dignetur committere, & mandare tribus ex Antiquioribus Rotæ Auditoribus, seu Locumtenentibus, videlicet Ioanni Baptistæ Coccino Decano, Alphonso Manzanedo, & Iacobo Caualerio Rotæ Auditoribus, vt causam Inquisitionis, & Canonizationis huiusmodi in statu, & terminis, inquibus reperitur asumeñ, & coniunctim procedeñ super puritate fidei, & morum sanctitate, Miraculorum, & Populi erga dictam Dei famulam deuotione, & fama in locis, in quibus opus fuerit, ingenere primum, si opus fuerit inquirant, & ad hunc effectum aliquibus Episcopis, seù alijs personis indignitione Ecclesiastica constitutis, honestis, discretis, & incorruptibilibus, prudentia, & industria præditis extra Curiam in Regnis Hi[illegible]rum, & præsertim in Diæcesi Toletañ, & vbique locorum per eorum op-

sanctitate, miraculorum, & Populi erga eam deuotionis fama in genere, similiter in specie, quatenus, vt præfertur opus sit inquirant fideliter, & sub sigillo ad ipsos Auditores in scriptis transmittant, vt in eis videatur, quod super veritate eorumdem, ad specialem Inquisitionem procedendum sit, scribant, & si per generalem predictam ipsis Auditoribus videatur, & constiterit ad specialem Inquisitionem deueniñ esse, ad eamdem pariter super præmissis, ac alijs à Sacris Canonibus requisitis deueniant, & procedant tam in Curia super articulis, & interrogatorijs dandis, & iam forsan datis, Testium iuramenta recipiant, eosque examinent, illorumque dicta in actis redigant, iuraque, & munimenta quæcumque ad negocium huiusmodi facientia recipiant, illaque omnia, & singula, quæ ad plenam, & legitimam hujus negotij probationem necessaria, & opportuna fore iuxta Sacrorum Canonum decreta cognouerint faciant, quam etiam extra Curiam, & vniuersis locis, vbi opus fuerit litteras remissioriales, & compulsoriales etiam sub Censuris, & pænis decernant, & relaxent eisdemque Episcopis, aut alijs personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, vt ad Testium examen iurium, & munimentorum receptionem, vt præfertur procedant, omniaque sigillo clausa ad ipsos Auditores fideliter transmittant, eosdemque Processus, & alios eorum mandato conficiendos aperiant, illosque apertos videant, examinent, & discutiant, eisdemque sic examinatis, & discussis necessariam, & oportunam S. V. de, & super præmissis relationem faciant adhoc, vt quid iuxta Canonicas sanctiones, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Rith circa illud agendum sit, ad Dei gloriam, & Catholicæ Fidei exaltationem eadem S. V. statuere valeat. Cum potestate citandi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, etiam sub Censuris &c. Contradictores declaran. &c. aliaque facieñ, diceñ, gereñ, & exerceñ, in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna præmissis, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis stylo Palatij Ferijs generalibus nuper editis, & in futurum indicendis itaut singulis diebus, præterquam honorem Dei feriatis in causa procedi possit, cæterisque in contrarium facientibus non obstañ quibuscumque statutis, &c. pro plene, & sufficienter expressis habeñ Placet Alexander.

Num. 2. IOannes Baptista Coccinus Decanus, Alphonsus Mançanedo, & Iacobus Caualerius I. V. Doctores Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cappellani, & ipsius Sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, Iudicesque Commissarij super Canonizatione bo. me. Seruæ Dei Beatæ Sororis Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis sancti Francisci, olim professæ, & Abbatissæ Conuentus monialium sanctæ Mariæ de Cruce specialiter, & expresè ab eodem Sanctissimo in Christo Patre, & D. D. Gregorio Diuina prouidentia Papa XV. deputati, & Electi, ad generalem primò, postea ad specialem Inquisitionem suscipiendam super eiusdem Seruæ Dei Sororis Ioannæ de Cruce, sanctitate vitæ, & miraculorum operatione, prout in speciali cõmissione desuper ab ipso Sanctissimo D. N. Papa emanata, & nobis directa, ac per vnum ipsius Cursoribus præsentata tenoris infrascripti, videlicet, Beatissime Pater. Vigente &c. *vt supra num.* 1. Reuerendissimo in Christo Patri, & Domino D. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Troianen. Episcopo, & alteri Reuerendissimo Episcopo per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. S. D. N. Papæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntium in Regnis Hispaniarum commoran. nomine nostro nominando, & eligendo, Salutem in Domino sempiternam Noueritis iuxta præinserti rescripti formam post. Inquisitionem de puritate fidei, sanctæ vitæ, & morum fama, de miraculorum magnitudine, populorum obseruantia erga prædictam bo. me. Seruam Dei Ioannam de Cruce generaliter tantum, & non sigillatim per Nos hic in Romana Curia factam instantibus potissimum Serenissimo, & Potentissimo Domino Don Philippo Quarto Hispaniarum Rege Catholico ac vniuerso vtriusque se[illegible]

Monasterio sanctæ Mariæ de Cruce, totoque Populo, Ciuitatis, & Diocesis Toletanæ coram nobis stetisse, & comparuisse R.P.F. Lupum Paez Concionatorem generalem Ordinis sancti Francisci, & in Hispaniarum Prouincijs Tertii Ordinis Pœnitentiæ generalem Visitatorem, & Prouinciæ Castellæ dicti Ordinis filium Procuratorem, prout de suo huiusmodi procurationis mandato legitimè docuit cumque, tam suo, quam supradictorũ nominæ petijsset, vt iuxtà formam prædicti rescripti Sanctissimi D. N. Gregorij Papæ XV. litteras Remissioriales, & Compulsoriales dimitteremus, & decerneremus, vt de puritate fidei, & sanctitate vitæ, morumque fama, miraculorumque magnitudine, ac Populorum Obseruantia, alijsque omnibus in articulis, & positionibus deducendis singularis, & particularis inquisitio perficiatur. Nos verò in Monasterio sancti Augustini, & in Sacristia Ecclesiæ dicti Monasterij in vnum conuenti, & congregati visis omnibus, & consideratis diligenter viden. ac re huiusmodi maturè discussi iuxtà formam prædicti rescripti Sanctissimi D. N. Papæ litteras, Remissoriales, & Compulsoriales dimittendas, & decernendas fore censuimus, vt de præmissis singularis, atque specialis inquisitio suscipiatur Quo quidem Decreto promulgato idem Reuerendissimus Pater Fr. Lupus Paez Concionator Generalis Ordinis sancti Francisci, & in Hispaniarum Prouincijs Tertij Ordinis pænitentiæ generalis Visitator, & Prouinciæ Castellæ dicti Ordinis filius, & Procurator legitimus, vt clarius integritas, puritasque fidei, vitæ sanctitas, atque eiusdem Seruæ Dei Sororis Ioannæ de Cruce miraculorum magnitudo omnibus eniteat nonnullos positiones, & articulos siue materias articulatas, vitam, mores, ac virtutes, & miracula eiusdem Seruæ Dei bo. me. Sororis Ioannæ de Cruce concernentes facto realiter, & inscriptis exhibuit, & produxit, pro quibus probandis se suamque partem prædictam extrà dictam Romanam Curiam, & in partibus admitti, Remissoriamque desuper necessariam, & opportunam, seù litteras Remissioriales, & Compulsoriales cum Iudicis, & Iudicum, & locorum loci deputatione, & similia iuxtà prælibati Sanctissimi D.N. Papæ rescriptum decerni, & concedi, debita cum instantia postulauit idcircò nos Ioannes Baptista Coccinus Decanus, Alphonsus Mançanedo, & Iacobus Caualerius Auditores, Iudicesquè Commissarij antedicti. Animaduertentes postulationem huiusmodi esse iustam, & rationi consonam, quodque iusta petentibus non sit denegandus assensus; Cupientesque potissimum, vt mandatum Apostolicum. In primis iuxtà Commissionem nobis directam, & presentatam reipsa perficiatur dictos Positiones, & articulos, siue materias articulatas nobis exhibitos, seù exhibitas nostro Officio admitten. duximus, & admissemus, vosque Reuerendissimum in Christo Patrem, & D. Episcopum Troianen. & alium Reuerendissimũ Episcopum per Illustrissimum, & Reuerendissimum Nuntium Apostolicum in Regnis Hispaniarum commorantem nomine nostro eligen. & nominan. (de quorum fide, & sinceritate, ac religionis Zelo propensaque, & debita erga hanc Sanctam Sedem obediendientia plurimum in Domino confidimus) in Iudices constituimus, vt simul, & coniunctim in Ciuitate, ac Diæcesi Toletan. in Ecclesia, seu Sacello, vel alio in loco, seu locis honestis vobis beneuisis, vbi commode poteritis à vobis semel, vel pluries eligendis in exequtione dictarum litterarum remissorialium, & examine Testium desuper inducendorum procedatis, prout authoritate, quà fungimur in hac parte eligimus, & constituimus per presentes has nostras litteras Remissoriales, & Compulsoriales decernentes opportunas. Quæ omnia, & singula præmissa vobis Reuerendissimo D. Episcopo nominato, & alteri Reuerendissimo Domino Episcopo per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Nuntium Apostolicum in Regnis Hispaniarum commorantem (cui huiusmodi nominationem faciendi plenam, & omnimodam presentium per tenorem concedimus, & impartimur facultatem dicta Authoritate Apostolica nobis in prædicto rescripto concessa) denunciamus, intimamus, & ape-

rimus. Vobiſque etiam cognitum facimus per tenorem; Voſque monemus primo ſecundo, tertio, & peremptorie in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis preſentibus nominationeque de altero Epiſcopo per dictum Illuſtriſſimũ, & Reuerendiſſimũ Dominum Nuntium facta poſtquamque nomine dicti Procuratoris comparentis, vel præfatorum inſtantium vigore preſentium legitimè fueritis requiſiti ſimul, & coniunctim procedendo, omnes, & ſingulos Teſtes, litteras, ſcripturas inſtrumenta, munimenta, documenta, & alia quæcumque probationum genera, quos, quas, & quæ coram vobis, vt præmittitur ſimul, & Coniunctim proceſſuris preſentari, produci, & compulſari contigerit. *Primò iuxtà Interrogatoria per nos ex officio formata, deinde* ſuper poſitionibus, & articulis antedictis, quæ, & quos ſub ſigillis noſtris in Rota incluſa, *& incluſos vobis transmittimus*. In oppido de Nazaña aut in alijs Oppidis, & Ciuitatibus, ac locis quibuſcumque Archiepiſcopatus Toletan. & totius Hiſpaniæ in Eccleſijs vel pijs locis, & ibidem in Cappellis per vos eligendis, ſeu deputandis pro Tribunali ſeden. admittatis, & ab ipſis Teſtibus Iuramentum de veritate dicenda ad ſancta Dei Euangelia ſuper tota cauſa, & ſuper his, ſuper quibus Examinabuntur in manibus veſtris recipietis, Eoſque iuxtà interrogatoria, deinde ſuper dictis poſitionibus, & articulis per vos coram Notario, vel Notarijs per vos ad hoc deputato, vel deputatis qui Proceſſum ſcribat, vel ſcribant diligenter, & fideliter examinetis ipſorumque Teſtium Atteſtationes, dicta, & depoſitiones, necnon litteras ſcripturas, inſtrumenta, iura, munimenta, & documenta quæcumque, & qualiacumque coram vobis exhibita, & compulſata fideliter tranſcribi, & coram vobis cum originalibus legi, & concordari faciatis. Si vero aliqua perſona Regia, vel Religioſæ moniales intra ſepta Monaſteriorum clauſa ſuper fama ſanctitatis, operatione miraculorum dictæ Seruæ Dei Sororis Ioannæ de Cruce, vel alias ſuper dictis articulis examinanda, vel examinandæ forent. Vos ad eas, vel eos examinan. accedetis. Reſponſionibus vero dd. Teſtium eorumque deſpoſitionibus atque dictis fideliter in ſcriptis redactis vnacum poſitionibus, & articulis ſupradictis, ac literis, ſcripturis Inſtrumentis, iuribus, & munimentis, ſiue eorum veris tranſumptis ſub ſigillis veſtris incluſis ad noſtram preſentiam, & Romanam Curiam quanto citius poteritis cum fideli nuntio adhoc in manibus veſtris iurato tranſmitti faciatis, ſignificando nobis, quæ, & quanta fides dd. Teſtibus litteris, ſcripturis atque tranſumptis fuerit adhiben. *Sepulchrum autem in quo Corpus prædictæ Seruæ Dei* Sororis Ioannæ de Cruce reconditum aſſeruari dicitur viſitetur, & aperiatur, atque illud cum omnibus, & ſingulis circumſtantijs deſcribatur, vel deſcribi curetur. Veſtrum porro nullus, vel alius quiſpiam aliquid ex dicto ſepulchro abſtrahere; auferre, ſuſcipere, aut amouere audeat ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrenda, à qua niſi à Romano Pontifice abſolui poſſit, nec minus abſtrahi auferri, vel amoueri quicquam ſub deuotionis, vel quouis alio prætextu permittant, nam veſtes, & oſſa vel aliquid minimum ex dicto Sepulchro amoueatur, ſed omnia prout fuerint inuenta relinquantur; & in eodem ſtatu, modo, loco, in quo nunc ſunt reſtituantur, & reponantur, ac reſtitui, & reponi curentur. Qui actus viſitationis Sepulchri, ſecreto fiat, nec permittatur concitari tumultum, vt concurſus Populi euitetur, & huiuſmodi viſitationis cauſa aliquid non contingat, quod vel offendere quemquam, vel inducere nouum cultum poſſit. Cum iſti actus fiant ad effectum Canonizationis faciendæ, vt ſi ſancta fuerit depræhenſa, tanquam ſancta colatur, non autem ante Sedis Apoſtolicæ approbationem per indiſcretas actiones tanquam talis habeatur. Vobiſque inſuper Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Troyanen. & alteri vt ſupra nominando ſimul, & coniunctim proceſſuris, vt liberius præmiſſa exequi valeatis eadem Apoſtolica authoritate committimus, vt nuntium, vel nuntios pro citationibus exequen. & alijs

mandatis, decretisque pariter exequutioni demandandis deputetis, ac deputare possitis, ac Testes, vt se examini subijciant, & priuatos quoslibet Notarios, & Archiuistas, scripturas, & Instrumenta quæcumque ad hanc causam quomodolibet pertinentes, & pertinentia habentes, & detinentes, vt eas, vel ea exhibeant tradant libere, & assignent; & Testes, qui nominati fuerint si se odio, gratia, amore, fauore, iracundia, & timore subtraxerint per censuras & pænas Ecclesiasticas appellatione postposita Testimonium veritatis perhibere *compellatis, & compellere possitis, vt demum prædictis omnibus per vos exequutis, nobisque transmissis illisque Sanctissimo D.N. Papæ* oblatis Apostolicam suam benedictionem, & æternæ retributionis præmium consequi valeatis. In quorum omnium, & singulorum fidem, & Testimonium presentes manibus nostris subscriptas per infrascriptum Sac. Palatij Apostolici, & adacta huiusmodi Canonizationis deputatum Notarium publicum expediri, & auscultari, ac sigillorum nostrorum iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in Monasterio sancti Augustini in Sacristia Ecclesiæ dicti Monasterij, in qua pro huiusmodi negotio congregatuimus sub anno à Natiuitate Domini 1621. indictione 4. die &c. mensis Septembris Pontificatus &c. Gregorij Diuina prouidētia Papæ 15. anno primo Presentibus &c. Testibus ad premissa omnia, & singula vocatis habitis, atque rogatis.

Ioannes Baptista Coccinus Rotæ Decanus Iudex Commissarius.
A. Mançanedo de Quinones Rotæ Auditor Iudex Commissarius.
Iacobus Caualerius Rotæ Auditor Iudex Commissarius.

Et Ego Ioannes Macrinus Clericus Ariminen. publicus Apostolica Auctoritate, & Sac. Palatij Apostolici causarū, & presentis Canonizationis à supradictis RR. PP. DD. Sac. Rotæ Decano, & Auditoribus, ac Iudicibus CommIssarijs specialiter Notarius deputatus, quia de premissis omnibus, & singulis rogatus fuit &c. in fidem &c.

De Miraculis in Vita.

Primum Miraculum.

Nempe de pariete Lapideo respiciente versus Ecclesiam, qui miraculosæ fuit apertus, vt Beata Ioanna Sanctum Sacramentum adoraret posteaque eodem Miraculo fuit clausus.

Num. 3.

Miracula approbata à Rotæ Auditoribus.

QVadam die cum Serua Dei Ioanna confiteretur audiuit in Ecclesia pulsari Campanellam solito ritu ad Eleuationem Corporis Christi, volens autem ire ad illud adorandum, nec valens tam breui tempore circuire, aut peruenire ad Chorum, genuflexit magna cum deuotione versus Ecclesiam ad illud adorandum, Deo autem disponente, miraculosè paries Ecclesiæ, qui erat valdè grossus se aperuit, & in ipso pariete vnus eius lapis, vt potuerit optimè videre hostiam, & Sanctissimum Sacramentum adorare, atque Calicem, necnon videre Sacerdotem, & illos, qui in Ecclesia intererant Misterijs, facta eleuatione hostiæ, paries in pristinam compagem se clausit, & persistente Serua Dei genuflexa, iterum se aperuit in eleuatione Calicis, quem vidit, & adorauit, in signum autem, & memoriam huius miraculi in Conuentu conseruatur sub Custodia dictus Lapis magna cum veneratione, qui clauso pariete remansit loco prioris scissuræ signatus in formam Crucis.

Secundum Miraculum in Vita.

De duabus Mauris pertinacibus in sua Conuersione, quæ postquam audierunt concionem Seruæ Dei sermone Arabico, conuersæ fuerunt ad fidem.

SErua Dei Ioanna de Cruce, Diuina virtute, per tresdecim annos loquente Deo per ipsam, habens magnas visiones, Ecstases, & reuelationes concionata fuit magno cum Zelo, & Animarum vtilitate docebat, loquendo in varietate linguarum altissimas sententias cum magno fructu in animabus audientium, ac operibus mirabilibus, Cardinalis Franciscus Ximenez Archiepiscopus Toletanus misit ad dicti Conuentus obsequia duas mauras, quæ ad fidem se conuertere vllo pacto volebant, quamuis moniales illis persuadere dictam conuersionem maximè conarentur in dies obstinatiores fiebant, præcipuè senior, quæ ex rabie, & indignatione faciem suam lacerabat, illas tandem adduxerunt coram dicta Dei Serua Ioanna tempore quo concionabatur, & Deus Dominus noster per Seruam suam, illas alloquutus fuit Sermone Arabico, qui erat iilarum vulgaris ea efficacia, & suauitate, vt statim conuersæ fuerint ad fidem Catholicam baptismum petierint, & obtinuerint, in qua fide, vsque ad mortem perseuerauerunt.

De Miraculis post Mortem.

Primum Miraculum.

De Miraculosa incorruptione Corporis Seruæ Dei Ioannæ.

POstquam Serua Dei Ioanna ab hac vita fæliciter migrauit, illius Corpus fuit in quadam capsa lignea missum cum suo habitu, & in Ecclesia expositum, vbi propter magnum concursum fidelium ad dictum Corpus venerandum, illud in dicta capsa extra Ecclesiam in loco campestri illi contiguo reposuerunt, vt omnes absque tumultu aliquo possent iuxta suam deuotionē quisque Corpus venerari, quod quidem pulchrius in morte, apparebat, quam in vita, sicque inhumatum per quinque dies extitit, quibus transactis fuit sepulturæ traditum in eadem capsa, insuper præter humum superiecta est calx, & aqua in magna quantitate, vt faciliùs corrumperetur, & ossa nuda pro reliquijs remanerent, sicque per septem annos permansit sepultum, quo tempore peracto supperuenit illiùc causa visitandi sacri funeris D. Commissa de Montalbano cum duabus suis filiabus, filiæ verò digitis Terram parum foderunt, & illicò cæperunt odorem mirificum sentire, quod cum monialibus, & matri renunciassent: omnes agnouerunt fragrantiam, & quod ex humato, & corpore proueniebat, ocius curarunt fodi sepulturam, & reperierunt capsam, corpus, & habitum incorruptum, & meliori sub forma, quam quando illud humarunt, & in eodem statu, quo illud tunc repertum fuit, & ad presens inuenitur cum eadem incorruptione.

Miraculum secundum post Mortem.

De mirifico odore è Corpore, & reliquijs Seruæ Dei emanati.

HVnc mirificum odorem cum illo fuisse repertum Corpus Serua Dei, illius habitum quo erat induta, & quod amplius est in dicto, & Corpore, & reliquijs vsque in hodiernam diem perseuerare probant ijdemmet Testes deponentes de incorruptione &c. iudicauimus istud esse insigne miraculum, nam cum ex Cadaueribus defunctorum putrefactioni, vt supra probauimus subiectis non odorem, sed fætorem potiùs oriri videamus, hinc est quod semper huiusmodi suaues odores è Corporibus mortuis sanctorum prodeuntes ad sanctitatem illorum referantur. Ista enim fragrantia Corporis mortui, illiusque odoris suauitas ostendit in illo Corpore authorem suauitatis existere, vt refert sanctus Gregorius in Homilia 38. & notat D. Thomas primæ 3. quæst. 38. art. 5 ad secundum vbi dicit, bonus odor pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, quia sicut bono odore Christus plenus fuit secundum illud Genes. 27. Ecce odor Filij mei, sicut odor agri pleni, ità etiam à Christo deriuatur ad suos fideles, & amicos iuxtà illud Pauli ad Corinth. 2. odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo: vnde, & Sancta Mater Ecclesia quasi exultans præ gaudio de gloria filiorum suorum canit, sancti tui Domine florebunt sicut Lilium, & sicut odor balsami erunt ante te, quod etiam ex plurimorum sanctorum exemplis comprobare valet, vt in Relatione sancti Isidori loco supracitato circa finem, & in illa sanctæ Theresiæ in secundo Miraculo post mortem, etiam censuimus huiusmodi miraculum secundo loco attribuendum fore, cum superet vires naturæ, quantum in illo in quo fit, certum est enim naturam facultatem habere producendi bonum odorem ex Corpore humano, tamen non ex Corpore mortuo, & putrefactioni subiecto, vnde cum in isto cadauere mirificus odor reperiatur, respectu illius in quo fit, excedit vires totius naturæ creatæ, & referendus venit ad secundum gradum iuxtà D. Thom. vbi supra dicto artic. octauo in corpore vers. 2.

Miraculum tertium post Mortem.

D. Lucretia Galuarro Ciuitatis Hispalen. paralitica quinque annis, venit cum voto visitandam Seruam Dei Ioannam, & cum accessisset ad illius Sepulchrum illicò sanata fuit.

DOnna Lucretia Galuarro Ciuitatis Hispalensis, cum per quinque annos iacuisset paralitica, cruribus, & pedibus capta, votum vouit Seruæ Dei Ioannæ, quod illius Sepulchrum visitaret, & eius intercessione sanitatem recuperaret, & hoc iter ingressa comite fratre ipsius Canonico Ecclesiæ Hispalensis, & Inquisitore Apostolico cum magno comitatu, & adiutorio suorum venit post longum iter ad Monasterium sanctæ Mariæ de Cruce, & quamuis sub nocte accessisset ad Ecclesiam Monasterij, famuli pulsarunt portam, & à quodam Fratre Vicario monialium aperiri fecerunt, & illicò inter duos, vel tres famulos brachijs subleuatam in Ecclesiam inducentes apposuerunt propè Sepul-

pulchrum Seruæ Dei Ioannæ, cui se ex toto corde commendans statim intrà mediam horam sanitatem integram recepit, cæpitque absque aliquo fulchro firmare gressum per Ecclesiam deambulare, agens gratias Deo, & Seruæ suæ Ioannæ pro tanto beneficio in se collato, altero autem die profecta fuit Madritum, vbi per duos menses permanens, demum redijt ad dictum Monasterium, vbi Deo, & Seruæ suæ Ioannæ pro salute recuperata compleuit nouenarium.

Miraculum quartum post Mortem.

Claudus tacto Corpore Seruæ Dei Ioannæ existente in Feretro, statim sanatus fuit.

DEsuncta Serua Dei Ioanna nonaginta ab hinc Annis, & Feretro superposita, occurrerunt quamplurimæ personæ ad illius Corpus inhumatum videndum, & inter reliquos accessit quidam Claudus ex Oppido de Torrexon de Velasco baculis innixus, ac per ipsum tacto pectore dicto Seruæ Dei Ioannæ, illaque inuocata, statim recuperauit sanitatem, & relictis fulchris in rei fidem, ibique deuotè appensis discessit gratias agens Deo optimo maximo ob tale beneficium intercessione dictæ Seruæ Dei obtentum.

Miraculum quintum post Mortem.

Cecilia Rodriquez morbo Comitiali affecta, tangens Corpus Seruæ Dei, statim sanitatem assequuta fuit.

INter alios etiam Cæcilia Rodriquez filia Antonij Rodriquez, & famula dicti Conuentus, erat valdè infirma, & laborabat morbo Comitiali ordinarie, & perueniens ad Corpus dictæ Seruæ Dei Ioanna, & illud tangens, remansit sana, & libera à dicto morbo, itaut nunquam amplius illo oppressa fuerit.

Miraculum sextum post Mortem.

Maria laborans febribus, & ad mortis Articulum perueueniens, commendata Seruæ Dei, quæ illi apparuit salutem statim accepit.

MAria Puella duorum Annorum cum dimidio, & filia Ioannis Rastallo, & Mariæ Ferdinandez Incolarum Oppidi de Casabuelos per tres dies magnis febribus laborauit, tertia autem nocte Mater deprækendit eam laborare morbo Alferetiæ magnis cum tumoribus, & motibus pedum, & manuum, & capitis, hinc expauescens Mater, quia iam fuit experta omnes pueros huiusmodi morbo affectos excessisse vita, & clamans vocauit Bartholomeum Fratrem suum in subsidium, & mane alloquuta fuit Barbitonsorem illius loci, qui scripsit pulueres coralli, & ambræ, significans morbum esse mortalem, quos pulueres puella sumere nullatenus potuit, quia cum vomitu illas eijciebat, superuenit quædam vicina nomine Maria sancta, & videns puellam in extremis

di-

dixit Matri ista puella moritur, nihil aliud expedit, quam parare vestem funebrem, quam illamet confecit, & apposuerunt super dicta puella, quam iam pro mortua existimabant, habebat oculos fractos, cessabant tremores, seù conuulsiones, suasit ergò prædicta Maria sancta Matri, vt illam commendaret Beatæ Ioannæ de Cruce, prout illa deuote compleuit, præces effundit dictæ Seruæ Dei pro vita, & sanitate illius puellæ si erat expediens voluntati Diuinæ, & honori, relicta puella iam pro mortua, mater egressa fuit cubiculum post mediam horam, vocatur à filia, ingressa. Quæsiuit à puella quomodo se haberet, quæ respondit se bene habere, panemque poscit, Cæterum mater illam interrogauit, quis nam ipsam sanasset, respondit infans, quod sancta Ioanna, de quo admiratur mater, vel eo maxime quod illa puella in annis adeò tenera nunquam nominari audiuit sanctam Ioannam, tam integre restituta est, vt neque à dicto morbo Alfereticæ, neque à febri qua opprimebatur amplius fuerit abrepta, per duos autem dies surrexit è lecto, mater quando filiam Seruæ Dei commendauit voult pro salutæ filiæ dictam vestem funebrem, & triticum ad pondus puellæ, quod adimpleuit.

Valentina.

Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis Sancti Francisci.

Num. 4. Ex Registris R. P. D. Tigrinij olim Sac. Rituum Cōgregationis Secretarij.

DIscussis Processibus authoritate Apostolica factis super sanctitate, & miraculis Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce ad relationem Illustrissimi Sancti Clementis Sac. Congregatio censuit constare de validitate die 31. Maij 1629.

Valentina.

SIgnato Dubio super virtutibus heroicis Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce per Illustrissimum D. S. Cæciliæ eodem Illustrissimo referente S. Rituum Congregatio respondit Iterum de dictis virtutibus agendum in prima. die 22. Septembris 1629.

Valentina seù Toletana.

QVia in vltima præterita Congregatione habita in causis Beatificationum de mense Septembris fuerat dilata discussio Articuli circà ætatem Testium ad probandum in antiquis, hodie ad relationem Illustrissimi sanctæ Ceciliæ Sac. Congregatio censuit sufficere in Testibus ætatem annorum sexaginta ad probandum in antiquis, reliqua verò in causa Ancillæ Dei Sororis Ioannæ de Cruce fuerunt dilata ad aliam Congregationem die 19. Ianuarij 1630.

Toletana.

EOdem Illustrissimo S. Ceciliæ referente causam Ancillæ Dei Ioannæ de Cruce aliàs propositam super virtutibus, stante resolutione etiam iam facta per hanc S. Congregarionem, quod in antiquis sufficiat in Testes ætas annorum sexaginta Eadem Sac. Congregatione respondit constare de virtutibus requisitis in ordine ad Canonizationem die 4. Maij.

Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 30. Nouembris 1663.
M. Episcopus Sabinen. Cardinalis Ginettus.
Loco † Sigilli.
Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Foris. Alà Santidad de Nueſtro Señor Aleſandro Septimo, que Dios guarde muchos Annos,

El Rey d'Eſpaña.

Intus. Muy Santo Padre.

Num.5. LOs Religioſos dela Orden de San Françiſco ſoliçitan con anſia la Canoniçazion de Soror Iuana de la Cruz, que fue Religiosa deſu terçera Orden y natural deſtos Reynos de Cuya Santidad, y Virtudes ſe habra hecho, y harà à V.B. larga Relazion, y deſeando io tener parte en la meſma ſolicitud. por la particular Deuoçion, que profeſo à eſta Religion, y à la memoria de à quella Sierua de Dios, ſuplico à V.S. ſe Sirua oyr benignamente lo que el Cardenal de Aragon y los Religioſos (à cuyo cargo eſta) le ſignificaron en eſte propoſito, y que ſe digne de determinarlo con la breuidad poſible paraque la ſanta conſiga la Exaltaçion digna de ſu exemplar vida, y ſus deuotos el conſuelo de hauerlo, ſolicitado, en quyo reçiuiere graçia muy ſingular, nueſtro Señor guarde à V.B. como deſeo de Madrid à 3. de Enero de 1663.

Manu propria. Bueluo à pedir eſto à V. S. por iuzgar, que en ello harà V. Beatitud muy paricular ſeruiçio à Nueſtro Señor, conſtituir à eſta ſierba de Dios en la dignidad que mereçen sù Excelentes virtudes, y à mi me harà ſabor muy Señalado por la deuoçion que le tengo.

Muy humilde Hijo de V. Santidad,

El Rey &c.

Foris. A nueſtro muy Santo Padre.

El Rey d'Eſpaña.

Intus. Muy Santo Padre.

